



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

20. Divi Thomæ verba explicantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

in actus illorum influat. & suo modo illos efficiat, satis est ut in eos etiam velit influere, non per se solum neque absolute, sed concurrente causa secunda; unde eo modo, quo hunc effectum operatur illum facit secundum consilium voluntatis suæ accommodatum tali modo concurrendi; nam æterno suo consilio prudentissime decrevit suum concursum ad hos actus præstare, & id exequitur media voluntate modo supra declarato. Et ita etiam veræ sunt omnes locutiones Augustini sumptæ cum distributione accommodata, nam voluntas Dei est principium huius effectus propter Deo est, non tamen voluntas absoluta de tali actu secundum se, sed voluntas concurrendi ad illum modo prædicto.

505 Neque oportet ut Deus absoluta & efficaci voluntate velit nostram voluntatem agere ad hoc; ut ipsa agat, sed satis est, quod eam agere permittat, aut sinat, atque adeo ut velit eam agere non simpliciter, sed sub intellecta conditione si ipsa velit.

506 Neque est in hoc exacta similitudo inter esse à solo Deo, & ideo necessaria est absoluta voluntas Dei, qua velit ei dare esse, seu creare illam; voluntatem vero agere non est à solo Deo, sed est etiam ab ipsa voluntate, & ita est ab illa, ut possit non esse ex intrinseca vi, & facultate eius, & ideo non est necesse quod Deus simpliciter velit illam agere, sed quod velit præbere concursum illamque sinere, ut sua facultate volendi, aut agendi, utatur.

Differentia inter prædeterminationem, & concursum.

507 Atque ex his facile est intelligere differentiam inter hanc voluntatem concurrendi, & voluntatem prædeterminantem: est enim multiplex. Prima, quod in voluntate concurrendi modo prædicto Deus nihil efficit se solo circa actum peccati, & ex hac parte non potest ei tribui, ut auctori. At vero per voluntatem prædeterminantem Deus se solo efficeret in voluntate nostra determinationem ad actum peccati præuiam ad illud, ratione cuius merito tribueretur Deo, & actus peccati, & quidquid cum illo coniunctum est, nam si illa prædeterminatio est aliquid physicum, & reate voluntati inhærens, illud est tanquam gravitas quædam pertrahens voluntatem ad profundum peccati; merito ergo tribueretur peccatum Deo danti talem impetum multo magis, quam motus gravis tribuatur generanti, vel quæ consequuntur formam ei, qui dat illam, vel motus projectorum imprimendi impetum. Si vero illa determinatio non est præuiam aliquid inhærens, sed efficiat motio Dei immediatus tribuendum erit Deo quidquid ex illa morione consequitur, sicut tribuitur voluntati quidquid ex brachii morione sequitur, quamvis nihil præuiam imprimat, sed ex naturali subiectione efficaciter moveat.

508 Secunda differentia est, quod voluntas concurrendi non est de se determinata ad malum actum, sed indifferens, ut explicatum est; at vero voluntas prædeterminans est ex se definita ad actum malum, & ideo ex vi eius cadit in Dei voluntatem actus malus & virtualiter saltem, & implicite malicia eius quandoquidem Deus ex solo arbitrio suo ad illum potius, quam ad bonum suum velleo definiuit, & per illud voluntatem humanam.

I. P. Tom. II.

nam determinavit, ex vi autem prioris concursus non cadit in Dei voluntatem absolutam actus malus; sed sola permissio eius.

Tertium discrimen est, quo voluntas concurrendi, de se & absolute non est efficax, sed sufficiens, & cum cooperatione humane voluntatis habet effectum, voluntas autem prædeterminans, esset efficax ex se, & ideo ratione illius, vere diceretur Deus facere, ut faciamus malos actus; quod nullatenus dicendum est.

SUBSECTIO XX.

Divi Thomæ verba explicantur.

Circa loca Divi Thomæ, aduertit optime Suarez in primis nunquam reperiri apud sanctum Thomam in citatis locis causam primam determinare secundas ad omnes actiones earum, multoque minus reperiri apud eum mentionem physicæ prædeterminationis, præsertim respectu voluntatis liberæ; solum ergo reperitur hæc verba apud sanctum Thomam. Causa prima movet causam secundam, applicat illam, præbet illi concursum, vel auxilium tanquam primum movens; hæc autem voces recte intelligi, & exponi possunt absque illa actione prævia in causam secundam, ut supra tetigi, & nunc latius dicam.

Deinde aduertendum est sanctum Thomam ponere varios modos, quibus causa prima operatur effectus causarum secundarum. Primus est dando causis secundis virtutes ad agendum, seu formas per quas agant. Secundus est conservando eas in esse. Tertius quasi applicando virtutes, & formas causarum secundarum ad operationes, quos tres modos posuit 1. parte, questione 105. art. 5. addit etiam quartum genus movendi per modum finis, qui ad rem præsentem non spectat, & in tertio modo notanda est illa particula, quasi, quæ videtur esse conditio diminuens, non enim dicit simpliciter applicans, sed quasi applicans, & ratione huius applicationis, dicit primam causam movere secundam ad agendum, & secundam agere in virtute primæ, in toto autem illo corpore articuli nullam facit Divus Thomas mentionem illius concursus, quo Deus ut prima causa immediate concurrat ad actionem creaturæ in ipsum effectum proxime, & immediate influendo, & in solutione ad tertium in summam redigit totam doctrinam articuli his verbis; Dicendum, quod Deus non solum dat formas rebus; sed etiam conservat illas in esse, & applicat eas ad agendum, & est finis omnium actionum, ut dictum est, solum hoc posteriori loco effectum, & conservationem virtutis activæ ad unum caput reduxit, & quod ibi vocavit auxilium Dei movens, hic vocat applicationem. Neque enim dubitari potest quin per hanc applicationem Divus Thomas intellexerit aliquid distinctum ab effectione, & conservatione virtutis causæ secundæ, ut ex verbis adductis constat: ergo vel asserendum est Divum Thomam ignorasse illum concursum per immediatum influxum in ipsum effectum, vel per illam quasi applicationem hanc concursum intellexisse. Primum dici non potest, tum quia esset imponere Divo Thomæ intolerabilem errorem, tum etiam quia ibidem in solutione ad

Q 99 3

secundum

secundum ex doctrina articuli colligit vnam, & eandem actionem esse à primo, & secundo agente, quod non esset verum, nisi primum agens immediate influeret in effectum secundi agentis: ergo per illam applicationem nihil aliud potuit illo loco Dñus Thomas intelligere nisi concursum illum, quem aliis locis auxilium Dei mouentis vocauit.

§12 Quibus verbis vsus est, vt significaret hunc concursum, licet sit per modum simultaneæ cooperationis, tamen à prima causa dari, vt à superiori, à qua inferior pendet, & non è conuerso. Item, vt indicaret dari ex vi illius providentiæ, qua ad primam causam pertinet gubernare secundas, easque ad suos fines suasque operationes perducere, hoc enim est quoddam applicationis genus. Tandem vt ostenderet influere Deum in actionem causæ secundæ intimæ, & secundum omnem rationem eius.

§13 Quod ita potest amplius declarari; nam duplex applicatio causæ ad agendum, distingui potest. Vna est præuia ad actionem tanquam conditio requisita quæ non habet locum in præsentia; nam vt dixi loquimur de causa secunda habente iam omnem dispositionem intrinsecam, permanentem, necessariam ad agendum, & materiam, siue passum, siue obiectum sufficienter applicatum, & propositum, quam applicationem supponimus factam esse, & conseruatam à Deo, vel per se, vel concurrentem cum aliqua causa secunda. Causa autem secunda iam sic proposita & applicata, non indiget noua applicatione per nouum influxum solius primæ causæ, vt in superioribus late probatum est.

§14 Alia ergo potest intelligi applicatio formalis, quæ ipsamet actione fit, quomodo potest quis dici applicari ad opus dum operatur, & voluntas applicari ad amandum, dum amat, quæ applicatio non est aliud ab ipso amore, vel alia simili actione, sed applicatio vocari potest, quia dum agens operari incipit, coniungitur quodammodo actioni suæ, vel per illam coniungitur materiæ, circa quam operatur; & hæc applicatio ita fit à causa secunda, sicut & ipsa actio, & eodem modo fit à causa prima non sola, nec per actionem præuiam, sed cum ipsa causa secunda, & per concursum concomitantem quocum illa concurrat. Hoc ergo modo vere dicitur causa secunda applicari ad agendum à causa prima non sola: sed concurrente cum ipsa se applicante: quia ergo sub hac ratione, & denominatione applicationis significatur actio, vt primo egrediens ab ipso agente; ideo ad significandum Deum concurrere ad illam actionem secundam primæuiam, & radicalem emanationem à suo proprio agente, dicitur Deus concurrere applicando causam secundam. Et hæc satis, superque sunt ad reddendam vocis rationem; nam de re vix potest dubitari suppositis quæ diximus, quæ non esse aliena à sensu Dñi Thomæ, satis verisimile fit discursu facto.

§15 Nec obstat quod Dñus Thomas vsus fuerit exemplo motionis, & applicationis instrumentorum artis, quia non affertur exemplum, vt omnino simile, sed vt manuducens ad rem explicandam, & ibi præsertim adducitur ad declarandum, non concurrere Deum cum causis secundis, supponendo in eis virtutem agendi, sed dando, & conseruando illam.

§16 Ultra hos autem tres modos agendi non tribuit Dñus Thomas primæ causæ alium, quo ef-

fectus, & operationes causarum secundarum efficiat, qui sit vniuersalis, & quasi essentialis causis secundis, sicut sunt tres supradicti, alias Dñus Thomas illum non prætermisisset, vbi ex professo hanc materiam tractauit, ex quo mihi fit valde credibile tacite Dñum Thomam, retractasse quod in questione illa de potent. dixerat, vbi eandem questionem, quam prima parte versans præter illos tres modos ponit quartum, quo causa secunda per virtutem instrumentalem fluentem agit, vt instrumentum primæ causæ. Ex quo loco in primis calligo apud D. Th. aliud significari per illam applicationem, aliud per impressionem virtutis fluentis; nam expresse hos modos illo loco distinguit; vnde vel dicendum est, causam primam duas res imprimere secundæ, vnam ad applicandam illam, aliam vt illi det virtutem instrumentalem, quod est plane absurdum, vel fatendum est per illam applicationem nihil imprimi causæ secundæ, quod intendimus. Secundo colligo Dñum Thomam doctiorem factum commisisse, & retractasse, in prima parte, sententiam illam de virtute fluenti; nam certe, si in illa sententia permansisset, eam in prima parte non prætermisisset, ne diminuatam, sed maxime completam & exactam nobis traderet in proprio loco, & præcipuo, in quo rem ex professo tractabat: vidit ergo modum illum non esse verum, & ideo merito illum prætermisit.

Nec discursus, quo in illa questione de potent. vitur Dñus Thomas est efficax, sic enim colligit. Causa secunda non potest esse principalis causa existentia, nec potest illam propria virtute conferre; quia ipsum esse est vniuersalissimum effectus, & est quoddam esse alio quocumque existente in omnibus rebus intimius, & actualius, & ideo à sola causa prima, & vniuersalissima fieri potest, vt à causa propria & principali; causa ergo secunda solum vt instrumentum primæ potest dare esse, & ideo requirit virtutem instrumentalem præuiam, per quam efficiat; hæc enim ratio eodem modo applicari potest ad illam virtutem instrumentalem, seu transeuntem, quæ dicitur addi causis secundis; nam illa non est perfectior, quam virtus earum permanens.

Respondetur ergo illa ratione recte probari, causam secundam non posse agere sine influxu primæ principalis, & intimius, vt ita loquar, influentis in effectum quatenus esse existentia participat, quod est veluti ad quantum obiectum solius diuinæ efficacitatis, non tamen probari non esse in causis secundis virtutem propriam & sufficientem in suo genere ad communicandum esse quod habet cum concursu, & dependentia à prima causa, sicut ipse illud esse possident, sique possunt illud esse aliis communicare, non quidem sub generali ratione existentia, sed sub tali particulari, ac determinata ratione. Quamobrem non est necessaria alia virtus superaddita, neque alius causandi modus & ideo Dñus Thomas in Summa merito illum modum prætermisit, & tacite retractauit.

Cuius f. & non leue signum est, quod in 3. §19 contra Gent. c. 70. (qui liber simul cum Summa censetur, quasi vltimum Dñi Thomæ testamentum) tres supradictos modos attingens, quartum prætermisit, quem immerito Ferrar adiunxit.

xit, cum ibidem Diuus Thomas consulo illum omiserit, qui eo loco nullam aliam virtutem agendi agnoscit impressam causae secundae, praeter facultates ipsas naturales, vt est calor in igne & similes, seu proportionales, vt sunt habitus infusi in ordine supernaturali.

520 N-que in tota Diui Thomae doctrina aliquid aliud reperio, quod generaliter ad omnes causas secundas pertineat, specialiter autem de voluntate, & intellectu disputans solet Deo Tribuere vim peculiarem ad mouendum has potentias, & praesertim illi attribuit primos actus harum potentiarum, de hac motione diuina tractat 1. p. *quest. 104. articulo 3. & 4.* vbi (legenti euidenter constabit,) non agit de motione Dei, vt causae primae concurrentis cum voluntate, & intellectu vt causis secundis, sed de illa actione, qua Deus dedit his facultatibus virtutes intelligendi, & volendi, & inclinationem in proprios actus, & obiecta, rationem cuius ad illa feruntur. Tractat etiam de motione ex parte obiecti, quam Deus facere potest, vel imprimendo species in intellectu, vel per modum obiecti summe boni mouendo voluntatem, quod tunc solum facit omnino efficaciter, quando est clare visus, vt ipse docuerat, eadem prima parte, *questione 82. articulo secundo*. De hac etiam motione voluntatis agit *prima secunda* & *tertia* *questione 9. & 10. & questione 109. & sequentibus*, sed in his locis interdum loquitur de motione per inclinationem naturalem inditam voluntati ad volendum bonum, vt cum ait, voluntatem moueri a suo auctore ad volendum bonum in communi, vel finem. Interdum loquitur de motione per concursum generalem, quia cum voluntas per suum velle moueatur Deo concurrente ad illud, vere dicitur moueri voluntas a Deo, quamuis non a solo, sed cum ipsa, & ita etiam potest intelligi quod dicit in *articulo 4. quest. 109. 1. parte*, Deum intime inclinare voluntatem efficiendo in ea ipsum velle, quia velle est inclinari.

521 Interdum vero, & saepius loquitur de motione morali, vel antecedente, quae est vel ex parte obiecti, vel per sanctas inclinationes, quomodo loquitur aperte *prima secunda questione 109. articulo 6. ad tertium*, & in tota materia de gratia. Nunquam tamen in eo reperies (quod iterum animaduertere non grauabor) Deum praedeterminare voluntatem nedum physice praedeterminare, imo in eisdem citatis locis semper obsertat, Deum ita mouere voluntatem, vt illam se mouere sinat, imo vt eam ad vnum non determinet praevia determinatione vt satis significauit *prima secunda, questione 10. articulo 4.*

522 Ad tertium praeter propositionem ibi allatam sunt aliae similes in eo libro, quas Diuus Thomas ex parte refert dicta *questione 3. de potentia, articulo 7.* Prima est, [virtus causae primae prius agit in causatum, & vehementius ingreditur in ipsum.] Nona in ordine est, [Intelligentia non dat esse, nisi prout est in ea virtus diuina.] Sed haec 9. & 16. quae in obiectione citantur, optime exponuntur verbis Diui Thomae 3. *contra Gent. cap. 70.* vbi sic scribit, [Virtus inferioris agentis pendet ex virtute superioris agentis, in quantum superius agens dat virtutem ipsam inferiori agentis, per quam agit, vel conseruat eam.] Vnde inferius sic colligit, [Oportet igitur, quod actio inferioris agentis non solum sit ab eo per virtutem propriam, sed per virtutem omnium su-

periorum agentium, agit enim in virtute omnium.] Igitur ex Diui Thomae interpretatione causam secundam agere in virtute primae, nihil aliud est, quam agere per virtutem ab illa participatam, & ita dependentem ab illa in agendo, vt omnis actio eius magis, principaliusque nitatur in virtute causae primae, quam in propria, & hac etiam ratione subdit idem Diuus Thomas eodem loco virtutem primi agentis esse ex se productam, virtutes autem inferiores, non nisi ex virtute superioris, id est, vt in illa nixae, & ab illa adiutae.

523 Ex hac ergo Doctrina facile intelligitur verus sensus illarum propositionum libri de causis, & similium, in prima enim dicitur causa prima prius agere, quia ex se, & independentem agit. Dicitur tiam vehementius ingredi effectum, quia intimius est in illo, magisque in illum influit, & ipse essentialius ab illa pendet. In nona dicitur causa secunda dare esse, prout est in ea virtus diuina, vel participative per ipsammet facultatem, & virtutem intrinsecam a Deo participatam, quomodo dicitur charitas diuina esse in nobis, & diuinum lumen in Beatis, vel causaliter, id est, quatenus ipsamet virtus Dei est in causa secunda adiuuans illam, & cum illa concurrens. Atque hoc etiam modo dicitur in propria 16. virtute diuinam esse virtutem omnium causarum, vel quia omnes ab illa habent virtutem, vel quia illa omnes iuuat, & cum omnibus agit, & concurrat, quo sensu etiam dici potest coniungere omnes causas suis effectibus & applicare illas, vt dictum est.

524 Ad reliqua loca Diui Thomae Respondeo ex eodem Angelico Doctore, primo contra *Genes cap. 82.* duplicem esse indifferentiam ad vtrumlibet, Alteram ortam ex defectu virtutis, seu indigentia, sic videmus materiam primam esse indifferentem ad plures formas, & libram ex se esse indifferentem ad vtramque lancem ex defectu virtutis scilicet; adueniente autem pondere, & grauitate determinatur, & inclinatur in vnam lancem potius quam in aliam; Hanc etiam influentiam habet voluntas quandiu non apparet bonitas in hoc, vel illo obiecto, & tunc indiget aliqua inclinatione, vel cognitione vt operetur. Altera est indifferentia orta ex imperfectione obiecti, quod non apparet necessarium & tunc non indiget principium aliqua alia inclinatione antecedenti, vt operetur. Sanctus Thomas igitur, quoties petit in voluntate creata aliquam inclinationem praeuiam, vt operetur propter indifferentiam, quam habet ad vtrumlibet, loquitur de prima indifferentia orta ex defectu cognitionis, quam cognitionem dicit debere provenire a Deo, ipsum vero Deum, quia est actus purus, & ex se habet cognitionem non indigere aliqua inclinatione, vel motione ab extrinseco. Sic loquitur dicta *questione 9. articulo 4.* & clarius in 2. *distinctione 25. questione 1. articulo 1. in corpore*, vbi adducto testimonio Commentatoris dicit determinationem, quam voluntas praerequirat ad operandum esse cognitionem aliquam de fine, & primo contra *Genes cap. 82. ratione ultima*, Respondet Deum non indigere eiusmodi determinatione, quia habet ex se intellectionem, & cognitionem obiecti: ergo determinatio quam Sanctus Thomas praerequirat in nostra voluntate, nihil aliud est quam cognitio obiecti quam nostra voluntas non habet, quando est sub illa priora indifferentia.

525 Neque obstat, quod Sanctus Thomas aliquando hanc cognitionem appellat inclinationem, aliquando determinationem, non enim intelligit nomine determinationis aliquid necessitans, vel tollens indifferentiam secundi generis, sed appellat determinationem, quia auferit indifferentiam prioris generis, & quia cognitio bonitatis, quantum est ex se inclinatur, & determinatur magis ad amorem, quam ad odium, sed adhuc manet voluntas indifferens, quia habet aliam cognitionem alterius boni contrarii, quæ etiam quantum est ex se inclinatur, & determinatur ad amorem contrarium, & per consequens habet, ut ita dicam quasi determinationes contrarias duas improprie dictas, per quas tollitur prima indifferentia, quam habebat & tribuitur alia, ut voluntas secundam indifferentiam exerceat quomodo voluerit.

526 Deinde quando Sanctus Thomas vniuersaliter ait causam creatam posse operari, nisi prius determinetur à Deo, ibi loquitur de causis naturalibus, & necessarijs, non autem de liberis, ac si diceret Diuus Thomas non posse lapidem moueri ad centrum, nisi Deus prius determinet illum tribuendo illi grauitatem, quæ determinat lapidem ad centrum, quod expresse docuit Diuus Thomas 1. parte, questione 105. articulo 5. His verbis, Deus non solum dat formas rebus, & conseruat eas in esse, sed etiam tribuit virtutem media qua applicat agens ad operandum.

SVBSECTIO XXI.

Modi loquendi communes explicantur.

527 AD primum modum loquendi, qui contra nos obijcitur de applicatione causæ secundæ à Prima; suppono quod verissimum est, videlicet omnes causas creatas aliquam applicationem præuiam requirere (ut optime notauit Pater Suarez) ad actiones suas, siue fiat ex parte ipsarum, siue ex parte subiecti, siue materiæ circa quam operaturæ sunt, quæ applicatio in corporalibus agentibus, semper fit per motum localem, aut aliam actionem, qua agens, & passum loco coniungantur, seu propinqua fiant; in potentijs autem, seu viribus animæ, præcipue in intellectu & voluntate fit per sufficientem propositionem obiecti, aut per imperium vnius potentie in aliam, vel aliam motionem, vel eiusdem potentie in se ipsam secundum actus diuersos, quando subordinationem inter se habent, ut late Sanctus Thomas prima secunda questione 9. docet, unde in genere omnis hæc applicationum varietas ad duo capita reduci potest, & ut breues habeamus terminos, quibus utamur, alteram materialem, seu localem, alteram animalem, seu intentionalem appellemus.

528 Deinde suppono, omnem hanc applicationem præuiam fieri à Deo, vel per causas secundas, vel interdum per se solum si causæ secundæ defint. Ratio generalis est evidens, quia hæc applicatio est aliquid in rerum natura, est enim, vel motus localis, aut alia loci adquisitio, vel cognitio, appetitio, aliquidve simile: ergo necesse est à Deo fieri; item ex hac applicatione diversimode facta in diuersis agentibus, & patientibus exoritur fere omnis varietas effectuum,

quæ in vniuerso contingit, tam in naturalibus, quam in moralibus; imo perpetua conseruatio vniuersi per continuas generationes & corruptiones, ex hac applicatione maxime pendet: sed Deus est qui providentia sua, & maxima efficacia hæc omnia gubernat, & continet: ergo necesse est ut ipse sit causa prima omnis huiusmodi applicationis, quia vero Deus suauiter omnia disponit regulariter hanc actionem non facit, nisi per causas secundas, & tunc non aliter ipse concurret quam dando priorem concursum generalem illi causæ secundæ, quæ per se, & immediate efficit hanc applicationem, ut si Angelus exempli causa sit causa applicans ignem Sodome, ut comburatur, Deus concurret cum Angelo ad efficientiam illius motus per generalem concursum supra explicatum, & simili modo cum alijs. Potest autem Deus facere interdum hanc applicationem sua sola efficacia: sed id (ut creditur) ordinarie non facit, nisi vel in operibus aliquibus miraculosis, vel interdum in operibus gratiæ, quando intellectum, aut voluntatem hominis in se ipsis immutat illuminando, vel inspirando aliquem motum, quo ipsa voluntas ad alium actum applicetur. Hic enim modus applicationis maxime pertinet ad ordinem gratiæ, omnia vero hæc applicationum genera, sunt omnino extra causam, & rem de qua disputamus, quamvis nonnulli Doctores circa hanc applicationem mirabiliter allucinentur, ob vocis æquiuocationem, etenim præsens questio de necessitate Diuini concursus solum versatur suppositis alijs omnibus requisitis conditionibus ad operandum, ex parte ipsius causæ secundæ, verbi gratia, postquam sol præsens est huic Hemisphærio, & omnia impedimenta ablata sunt, quo Dei concursus indigeat ad illuminandum, & in re circa quam versatur postquam voluntas habet præsens obiectum per iudicium rationis, & ipsa quantum est de se apta est ad operandum circa tale obiectum, inquiritur quid sit necessarium ex parte Dei, & hoc sensu dicimus illam applicationem præuiam nullam esse.

Nam in primis inquiri, quis sit terminus huius applicationis; cum enim hæc applicatio, actio aliqua esse dicatur, & non sit tantum immanens in Deo; sed transiens in causam secundam terminum aliquem habere necesse est; imo iuxta opinionem asserentem actionem Dei non transire proprie in extrinsecam materiam, nisi quoad effectum suum hæc applicatio cum sit à solo Deo, prout recipitur in causa secundæ, non erit actio Dei, sed terminus aliquis, vel effectus Diuinæ voluntatis; at nullus talis terminus fingi, vel excogitari potest.

Dices terminum esse actionem causæ secundæ, hæc enim applicatio ad hoc fit, ut causa secundæ suam actionem exerceat, sed hoc non recte dicitur, hæc enim applicatio dicitur esse aliquid in causa secundæ præuiam ad actionem: unde actio talis causæ ad summum dici poterit finis ad quem ordinatur talis applicatio; sicut illuminatio solis dici potest terminus, seu finis extrinsecus applicationis eius, quæ per motum localem fit. At hic inquirimus intrinsecum terminum huius applicationis, qui vel formaliter sit ipsa applicatio, vel per illum proxime fiat, nam sicut per applicationem solis immediate